



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. I. Conclusio affirmativa statuitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

## ARTICULUS II.

*Utrum omnis actus humanus, tam internus, quam externus, aliquam bonitatem, aut malitiam moralem desumat à circumstantiis?*

Partem negativam tenet Durandus in 2. diff. 38. qu. 1. ubi docet nullam circumstantiam (ut talis est) tribuere actui humano bonitatem aliquam, vel malitiam; quia cum illam tribuit, transit in rationem objecti, & desinit esse circumstantia. Unde hic Auctor agnoscit quidem circumstantias morales in ordine ad entitatem actus cui accidit; sed in ordine ad actum in moralis est, dicit non esse circumstantias, sed objecta. Hinc sententia faveret noster Conradus hic qu. 19. art. 2. ubi concedit quidem actui exteriori, quod à circumstantiis recipiat bonitatem vel malitiam, sed id negat actui interiori, seu à voluntate elicito; eodem planè fundamento doctus, nimirum quia existimat omnia que sunt volita à voluntate, habere rationem objecti, subinde que non posse esse circumstantias.

## S. I.

*Conclusio affirmativa statuitur.*

Dico tamen, omnes actus humanos, etiam interiores, desumere à circumstantiis aliquam bonitatem vel malitiam. Ita communiter Theologi cum S. Thoma hinc inde; ubi hanc assertionem probat ex analogia ad res naturales, in quibus bonitas & perfectio sumitur non solum à forma que dat speciem, sed etiam ab accidentibus, v. g. in homine bonitas & pulchritudo sumitur non solum ex forma, sed etiam ex figura; debita proportione, & aliis accidentibus: cum enim quodlibet ens creatum sit potentiale, tota plenitudo essendi ipsius non consistit in essentia, sicut in Deo, sed etiam in accidentibus essentia superadditis. Ergo pariter in actione humana bonitas non solum sumitur ex objecto, quod se habet ad modum formæ tribuendæ speciem, ut articulo præcedenti ostendimus, sed etiam à circumstantiis, que sunt quedam accidentia et adjectiva.

Ratio vero à præcedenti, quia tales circumstantie possunt importare ordinem convenientiæ, vel inconvenientiæ ad rationem, sive ille sit eisdem rationis cum eo quem importat objectum, sive diversæ: non solum enim est disconveniens rationi furati, sed etiam furari in loco sacro, aut in tanta quantitate; atque adeo sicut actus, ex eo quod est tendentia in objectum, ut dicens ordinem convenientiæ, vel disconveniendæ ad rectam rationem, accipit ab illo bonitatem, vel malitiam; ita & à circumstantia dicente similem ordinem ad rationem, accipit etiam aliquam bonitatem & malitiam. Hinc est quod SS. Patres, & Philosophi morales, minus in modum exaggerant malitiam & deformitatem, quam actus mali & peccati in se habent, vel à conditione personæ, vel à circumstantia, loci aut temporis. Nam ex conditione personæ aggravati peccatum docet Iliad. lib. sent.

A cap. 18. Peccata (inquit) qua incipientibus levia sunt, perfectis viris gravia deputantur. Tanto enim gravius cognoscitur esse peccatum, quanto major qui peccat habetur. Crescit enim delicti cumulus iuxta ordinem meritorum, & sepe quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur. Quem Isidori locum D. Thomas infra qu. 73. art. 10. adhibet ad probandum quod magnitudo personæ peccantis aggravet peccatum. Ubi & in corpore articali varias hujus aggravationis causas congerit, que ibidem videri possunt. Hinc etiam Salvianus lib. 4. de Gubern. sic in Christianos peccantes graviter invenit: Omnis Christianorum culpa Divinitatis injuria est; atrocius sub sancti nominis professione peccamus. Ipsi errores nostros religio quam profitemur accusat. Ex circumstantia vero loci Tullius Antonii, qui in concione quam habebat ad populum evocaverat, sceditatem eleganter exaggerat, his verbis: Si inter cenam in tuis illis immanibus poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe diceret? In catu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, curru turpe esset, is vomens frustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum, & totum tribunal implevit.

Videri etiam potest D. Hieronymus in epistola in epatoriam ad Sabianum. Diaconum, qui virginem quandam facram, è monasterio Bethlehemitico ad stuprum, fugamque sollicitaverat: ibi enim hoc immane scelus, à circumstantia loci facti, in quo commissam fuerat, mitum in modum exaggerat, his verbis, quibus ipsam alloquitur: Infelicissime mortalium, tu speluncam illam, in qua Dei Filius natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro conducturus ingrederis? Non times, ne de præsepi infans vagiat, ne puerpera Virgo te videat, ne Mater Domini contempletur? Angeli clamant, Pastores currunt, stella de super rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur, & tu cubiculum Virginis, decepturæ Virginem irrepitæ Paveo miser, & tam morte quam corpore perhorresco, non possum ultra progredi, prorumpunt lacrimæ antequam verba, & indignatione pariter ac dolore, in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Vbi mare illud eloquentia Tulliana? ubi torrens fluvius Demosthenis? Nunc perfectio muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret: inventa est res quam nulla eloquentia explicare queat; reperitum est facinus, quod nec nimis fingere, nec scurrilè ludere, nec Attellanus possit effari.

Denique de circumstantia, te innotis eleganter differunt D. Chrysostomus, & S. Leo Papa: hic enim term. 7. de Passione, scelus Judæorum, èd quod in festo Paschali Christum occiderint, licet exprobrat: Quando qui ornare templum, mundare vasa, victimas providere, & legitimis purificationibus sacratorem diligentiam adhibere debeverant, parricidalis odii furore concepto, ad unum opus vacant, & in unum facinus simili crudelitate conjurant. Ille vero homil. 49. in Matth. crimen Herodis, qui ipso die natalis sui, necem Joanni Baptistæ, aggravat ex circumstantia hujus temporis: Tempore ipsius importunitas (inquit) scelus Herodis mirum in modum amplificat. Nam quando gratias Deo agere oportebat, qui eum illo die in lucem perduxit, tunc nefandissimam eadem committit. Quando vincitiam ex auro solvere debebat, ad vincula iniquissima suo iussu mors accessit, &c.

Potest etiam probari conclusio, destruendo præcipuum fundamentum adversæ sententiæ.

Duran.

Durandus enim & Conradus afferunt, actus humanos nullam desumere bonitatem vel malitiam à circumstantiis, quia existimant eas, dum actum humanum efficiunt, transire in rationem objecti, & sic non habere amplius rationem circumstantiæ: Sed licet interdum hoc accidat, sicut quando actus est indifferens ex sua specie & objecto, & sic moraliter bonus vel malus in individuo (tunc enim, ut articulo præcedenti annotavimus, prima circumstantia, à qua accipit bonitatem aut malitiam, transit in objectum) hoc tamen in aliis casibus non evenit: Ergo ruit præcipuum fundamentum adversa sententia. Major patet ex dictis initio hujus articuli, Minor verò suadetur. Objectum volitionis illam specificans, est id quod est volitum per se, directè, & immediatè, non verò quicquid est volitum indirectè, secundariò, & mediatè; objectum enim propriè & strictè sumptum, dicitur id quod primò & per se objicitur actui, & ab eo attingitur: Atqui circumstantiæ non sunt per se, primariò & immediatè volitæ, sed secundariò tantum, mediatè, & per modum adjuncti, seu accessorii: Ergo non semper transeunt in objectum specificans volitionem.

24. Confirmatur: Si circumstantiæ semper transirent in rationem objecti specificantis, sequeretur quòd actus intentus ut quatuor distingueretur specie ab actu intento ut sex; nam illi actus haberent diversa objecta specificantia. Ex quo ulterius sequeretur, non posse hominem continuare actum charitatis ut quatuor, usque ad intentionem ut sex, quæ enim specie differunt, continuari non possunt: Sed hæc sunt falsa & absurda, atque à communi Theologorum sententia aliena: Ergo, &c.

25. Denique suaderi potest conclusio ex infra dicendis: Nam ut ostendemus disp. 5. nullus est actus, etiam elicitus à voluntate, indifferens in individuo: Ergo nullus est qui non habeat bonitatem vel malitiam accidentalem ex circumstantiis. Probatur Consequentia: ratio enim ob quam non potest dari actus indifferens in individuo, est quia nullus dari potest, qui non habeat suas circumstantias, ex quibus fiat bonus, vel malus, ut ibidem patet.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

26. Objicies primò: Ut aliquid tribuat actibus humanis bonitatem aut malitiam, debet esse volitum: Sed omne quod est volitum, est objectum volitionis, sicut omne quod est visum, est objectum visionis: Ergo nihil potest tribuere bonitatem aut malitiam volitioni, præter ejus objectum. Et ita videtur docere D. Thomas hic qu. 19. art. 2. ubi expressè docet actum interiorem voluntatis in sua bonitate dependere tantum ab objecto; in quo distinguit ipsum ab actu exteriori, quem asserit dependere in sua bonitate ab objecto, & à circumstantiis.

27. Respondeo, ut aliquid tribuat bonitatem aut malitiam actui voluntatis, sufficere quòd sit volitum utrumque, sive primariò, & formaliter, sive secundariò & virtualiter, sive directè sive indirectè: quamvis autem circumstantiæ non sint primariò, formaliter, & directè volitæ; sed solum objectum essentialiter specificans, sunt tamen volitæ secundariò, virtualiter, aut indirectè: cum enim voluntas sit potentia spiri-

tualis non alligata organo, reflectitur supra se ipsam, & denominat volitum necdum objectum specificativum, & circumstantias ex parte ipsius se tenentes, sed etiam (virtualiter saltem & reflexè) ipsum actum, & quicquid se tenet ex parte ejus. In quo differt à potentia viva, quæ cum sit corporæ, & organo corporali affixa, non reflectitur supra suum actum, nec proinde ipsum, nec ea quæ se tenent ex parte ejus, denominat viva, sed solum objectum, & ea quæ se tenent ex parte ipsius. Ex quibus patet, quòd voluntatis actus potest habere bonitatem aut malitiam, necdum ab objecto, & ab his quæ se tenent ex parte ejus, sed etiam ex his quæ tenent ex parte ipsiusmet actus.

Ad locum verò D. Thomæ respondent aliqui, ipsum loqui de bonitate essentiali & specifica actus interioris voluntatis; hæc enim à solo objecto dependet; non verò de bonitate accidentali, cum hæc sumatur & dependeat à circumstantiis.

Sed hæc solutio, seu expositio facile refellitur: quia D. Thomas ibi apertè ponit differentiam inter actum interiorem & exteriorem, in hoc quod bonitas actus interioris solum definitur ex objecto, bonitas verò actus exterioris sumitur etiam ex circumstantiis: si autem loqueretur tantum de bonitate essentiali & specifica, non posset tale discrimen subtiliter; cum consistet non solum actum interiorem, sed etiam exteriorem, habere bonitatem vel malitiam essentialem ex solo objecto, aut materia circa quam versantur, ut furtum ex re aliena; ex circumstantiis verò solum bonitatem, vel malitiam accidentalem desumere.

Alii respondent S. Thomam non velle, quòd tota bonitas actus interioris sumatur ex solo objecto, sed solum quòd ad bonitatem actus interioris bonitas objecti sufficiat, etiam si desint circumstantiæ: si tamen hæc adiant, bonitatem vel malitiam illi tribuunt.

Sed hæc quoque interpretatio facile impugnatur: tum quia pariter ad bonitatem actus exterioris sufficit bonitas objecti, quamvis nullæ sint circumstantiæ: tum etiam quia D. Thomas non solum asserit objectum sufficere ad bonitatem actus interioris, sed dicit hæc à solo objecto pendere.

Tertia expositio est aliorum, qui volunt S. Thomam nomine actus interioris intelligere primum actum voluntatis circa finem, qui dicitur simplex volitio: hic enim (inquiunt) propter suam simplicitatem, & quia abstrahit ab executione, solum dependet ab objecto in sua bonitate & malitia, non verò à circumstantiis. Verum (præterquam quòd etiam talis actus habet suas circumstantias morales, à quibus sumit aliquid bonitatis aut malitiæ, ut intentionem, & durationem) manifestum est, D. Thomam de eo solum actu non loqui, sed etiam de intentione, electione, aliisque actibus internis, qui circa finem aut media versantur: cum in nullo alio loco de principiis moralitatis actus interioris, disputet, quam in illa quæst. quare si omnes actus à voluntate elicitos, sub nomine actus interioris non comprehenderet, diminutè & inadæquatè procederet in hoc morali tractatu. Unde etiam exclusa manet aliorum solutio, qui dicunt, D. Thomam nomine actus interioris, intelligere solum actum voluntatis imperantem, qui propriè interior est: hic enim (inquiunt) habet